

NUMMI CASTRENSES

JULII II. PONTIFIC. MAX. ET. ALPHONSI III. FERRARIÆ DUCIS, Cusi durante Bello Ferrariensi: Anno Christi 1511



Tſi Julius II. Pont. cauſas varias bello prætexeret, Alphonſo Eſtenſi Ferrariæ Duci illato: attamen non niſi ea demum vera fuit: quod Ferrariæ opes jam animo inuaſiſſet: urbemque figenda ſuorum dominationi aptiſſimam videret. Ægrè non minus amarulenterque idem tulit; quod poſtulant, ut iſto cum Gallo fœderi nuncium mitteret Alphonſus, non paruiffet. Quî vero parêret, cum *de forti hoc ei dulcedo promanaret*? Habent namque Hiſtorici: Regem per nuncios ac literas ſapè teſtatum, ſe libenter omne imperium, pro Eſtenſis incolumitate, ac deſenſione expoſiturum: nec Inſubriæ modo, ac Liguriæ, totiusque Ciſalpinæ regionis, ſed Galliarum, & reliqui regni vires non promptius pro ſalute, ac exiſtimatione, quàm pro Alphonſo evocaturum. Pontifex maiorem in ſe molem, quam cui ferendæ par eſſet, impendere videns, Joannem Franciſcum Picum Mirandulæ regulum, ad Ciamontium miſit, ſummum Gallicarum copiarum præfeſtum. Sed poſtquam longa diſceptatione, multisque internunciis ultrò citroque miſſis nihil conveniſſet, Pontifex datis ad reli-